

*Ira et misericordia Domini
per exsilium et liberationem populi manifestatur.*

Léctio libri secúndi Chronicórum

36, 14-16. 19-23

In diébus illis:

- ¹⁴ Unívérſi príncipes ſacerdótum et pópulus multiplicavérunt prævaricatiónes ſuas iuxta unívérſas abominatiónes géntium et polluérunt domum Dómini, quam ſanctificáverat in Ierúſalem.
- ¹⁵ Mittébat autem Dóminus, Deus patrum ſuórum, ad illos per manum nuntiórum ſuórum de nocte conſúrgens et cotídie cómmonens, eo quod párceret pópulo et habitáculo ſuo.
- ¹⁶ At illi ſubsannábant núntios Dei et parvipendébanť ſermónes eius illudebántque prophétis, donec ascénderet furor Dómini in pópulum eius, et eſſet nulla curátio.
- [17-18]
- ¹⁹ Incendérunt hoſtes domum Dei destruxerúntque murum Ierúſalem, unívérſa palátia combuſſérunt et, quidquid pretióſum fúerat, demolíti ſunt.
- ²⁰ Si quis eváſerat gládium, ductus in Babylónem ſervívit regi et filiis eius, donec imperáret rex Persárum,
- ²¹ ut complerétur ſermo Dómini ex ore Ieremíæ: donec terra accíperet ſábbata ſua, cunctis diébus devaſtatiónis egit ſábbatum, uſque dum compleréntur ſeptuagínta anni.

²² Anno autem primo Cyri regis Persárum
ad expléndum sermónem Dómini,
quem locútus fúerat per os Ieremíæ,
suscitávit Dóminus spíritum Cyri regis Persárum,
qui iussit prædicári in univérso regno suo
étiam per scriptúram dicens:

²³ «Hæc dicit Cyrus rex Persárum:
Omnia regna terræ dedit mihi Dóminus, Deus cæli,
et ipse præcépit mihi,
ut ædificárem ei domum in Ierúsalem,
quæ est in Iudæa.
Quis ex vobis est de omni pópulo eius?
Sit Dóminus Deus suus cum eo, et ascéndat».

Verbum Dómini.